


DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
USUFRUCTU;
QUAM,
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS VOET, J. U. D.
Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ
Lugd.-Bat. Professoris Ordinarii.
NEC NON
Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ
Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit
WILHELMUS SCHAEP, AMSTEL.-BATAVUS.
Ad diem 7 Maji loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

Reverendo ac Integerrimo Viro,

D. THEODORO SCHAEP, J. U. D. quondam Celsissimorum ac præpotentium. D. D. ordinum generalium fœderati belgii apud potentissimum Regem sueciæ legato extraordinario; nunc Amstelodamensium Reipublicæ à Secretis, parenti charissimo filiali amore & obsequio in æternum colendo, honorando.

UT ET

Viris Clarissimis Consultissimisque

D. JOHANNI VOET, P. F. G. N. J. U. D. ejusdemque facultatis in famosissima hâc Batavorum Academia Antecessori ordinario, Celeberrimo, h. t. Rectori Magnifico, dignissimo.

D. GERARDO NOOT, J. U. D. & in Illustri Academia Trajectina Juris Professori ordinario, subtilissimo.

Illo Promotori meo gravissimo; utrisque præceptoribus, venerandis, & ob immensa in me collata beneficia omni honore in perpetuum prosequendis.

Disputationem hanc Inauguralem

D. D. D.

W. SCHAEP,

Auctor.





DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE USUFRUCTU.

CAPUT PRIMUM.

De ſignificatione & definitione Uſusfructus.

1. Uſusfructûs vocabulum dupliciter in jure noſtro accipitur, vel enim emolumentum rei deſignat, vel jus aliquod perſonale. arg. *l.8. §.ult. ff. de peric. & commod. Rei vend.* arg. *l.11. §.2. ff. de pignorib.* Quod ſi accipiatur pro rei emolumento, non male eum (docendi gratiâ) in cauſalem & formalem dividi putamus, in quantum hoc emolumentum vel cum ſuâ cauſâ id eſt proprietate ſit conjunctum, vel ab ea ſeparatum exiſtat & percipiatur. *l.126.§.1.ff. de V.O.l. 21. §.3. ff. de except. Rei jud.* Dominium enim quodammodo duas partes habet proprietatem ſcil. & emolumentum rei arg. *l. 58. ff. de V. O.* ideoque dominus ſi ipſe percipiat fructus & utilitatem ex re ſua, plenum dominium, plenam proprietatem

ha-

habere dicitur. *l.* 78. *ff. de jure dot. l.* 36. §. 1. *ff. de usufr. l.* 15. §. *ult. ff. de Castr. pec.* quippe qui habet proprietatem cum usufructu; qui usufr. quia competit jure dominii, causalis appellari potest. *dd. ll.* 126. §. 1. *ff. de V. O. &* 21. §. 3. *ff. de except. Rei jud.*

2. E contrario si res alteri quàm domino præstet utilitatem, dominus tantùm solam seu nudam proprietatem, & alter nudum usumfructum habere intelligitur. *l.* 36. §. 1. *ff. de usufructu.* isque usufructus, quòd percipiatur à fructuario jure servitutis & ita per se subsistat, sejunctus à proprietate, recte dici potest formalis, manet tamen pars fundi. *l.* 66. §. 6. *ff. de legat.* 2. *l.* 76. §. 2. *eod.* pars dominii. *l.* 4. *ff. de usufr.* & hinc in multis causis fructuarius pro domino habetur, veluti; *in Edicto de possessionibus dandis. l.* 8. *pr. ff. de Reb. auct. jud. poss.* similiter *in l.* 7. §. 1. *ff. de usufr. l.* 13. §. 8. *ff. de damn. infect.*

3. Sed observandum hunc usumfructum improprie usumfructum dici, quia in parte consistit, ut ex ante dictis satis clarum, & clarius, si consideremus emolumenti nomine nihil proprie significari quàm fructus alicujus rei. *l.* 50. *in fin. ff. ad SCtum Trebell. l.* 3. §. 8. *l. ult. ff. si cui plus quam per Leg. Falcid.* Usufructus autem proprie consistit in jure. §. 2. *Instit. de Reb. corp. & incorp.* & ossibus (ut dicunt) personæ fructuarii inhæret. *l.* 32. *ff. de usufr. l.* 4. *ff. de novat.* quare is nec vendi nec cedi alteri potest. *l.* 66. *ff. de Iur. dot.* quod aliter in usufructu illo, qui pro emolumento accipitur. *d. l.* 66. *& l.* 8. §. *ult. ff. de peric. & comm. Rei vend.* Imo & hac ratione usufructus pars dominii negatur. *l.* 13. §. 2. *ff. de Acceptilat. l.* 33. §. 1. *ff. de usufr. l.* 63. *eod.* & consequenter fructuarius dominus non intelligitur. *l.* 13. *in fin. ff. de furtis.* Sed servitus affirmatur. *l.* 25. *de V. S. l.* 5. *ff. si ususfr. petat.* id est jus quo res alteri quam domino servit.

4. Recte itaque ususfructus propriè sic dictus in *l.* 1. *ff. de usufruct.* definitur *jus utendi fruendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ*; dicitur *jus*, juris autem vocabuli varia quidem invenitur acceptatio, ut apparet ex *l. pen. de just. & jur. & aliis L. L.* ex quâ tamen illa huic loco magis est conveniens, quæ jus sumit pro facultate legitimâ & jure tributâ, pariter ut in definitione actionis, itineris, viæ, aliarumque servitutum. *Pr. Inst. de Act. junct. l.* 1. *pr. ff. de eo quod cert. loc. l.* 6. §. *ult. ff. de negot. gest. & tit. Inst. de servit.* Vide & *tot. tit. Inst. de his qui sui*

vel

vel al. jur. Atque ita usumfructum definiri constat habitâ Relatione ad fructuarium, ideoque *Jus* male pro servitute explicatur, ut notat. *Arn. Vinn. ad tit. Inst. de usufr. & Bach. ad Tr. vol.* 1. *Disp.* 16. *Th.* 1.

5. Additur *utendi fruendi*: & recte conjunctim, licèt enim fructui usus insit eo Respectu, quod ususfructus plus contineat emolumenti, quam usus, & sub majori minus comprehendatur. *l.* 14. *§.* 1. *ff. de usu & habit. l.* 41. *ff. de usufr. leg.* arg. *l.* 21. *de R. I.* Tamen hic utendi vocabulum minime abundat, cùm & alia consideratione fructui desit, & sub eo non complectatur, quod apparebit manifestius, statim atque videamus; Quid sit uti, quid frui. Uti autem est utilitates rei peripere tantùm ad necessitatem, non etiam ad voluptatem, *l.* 12. §. 1. *ff. de usu & habit. secundò.* uti est uti ad rei conditionem & illum usum, ad quem res comparata est, uti enim præter rei conditionem proprie non uti, sed abuti dicitur. *l.* 15. *§.* 1. *& seqq. ff. de usufr. l.* 22. *§.* 8. *ff. solut. matr. l.* 12. §. 1. *ff. de usu & habit.* Denique uti est sic uti, ut salva maneat rei substantia, quippe utimur iis rebus, quæ nobis utentibus permanent, abutimur iis, quæ nobis utentibus pereunt. *l.* 29. *in fin. Cod. de Jur. Dot.* atque hinc est quod in quantitatibus, quia utendo consumuntur, non sit usus, verùm abusus. *l.* 5. §. 1. *& paßim ff. de usufr. ear. Rer.*

Frui verò plus est, nam frui est omnem rei fructum & utilitatem capere, etiam ad compendium & voluptatem. *§.* 1. *& seqq. Instit. de usu & habitat. l.* 7. *&* 9. *ff. de usufr.* deinde frui est frui quocunque modo etiam extra rei conditionem, etiam ita ut substantia rei pereat; quod inde apparet, quia proprie loquendo fruimur nostris rebus, iisque, ut notum ex *l.* 21. *Cod. Mandat.* abuti possumus. hisce jam ita consideratis; extra omnem dubitationem venit, quin hæc duo verba *uti frui* jure merito in definitione reperiantur, non ideo tantùm, ut constaret, usufructuarium non habere plenissimum fructum, sed usu quodammodo coarctatum, verùm etiam uti usufructus separetur ab usu, habitatione & aliis juris partibus.

6. Porrò adjicitur, *in definitione*: *Rebus alienis.* Hoc ideo, quia usufr. est servitus. *l.* 25. *de V. S.* Quæ semper in alienis constituitur, nunquam in propriis, cùm res sua nemini servire possit. Juxta *l.* 5. *ff. si Usufr. petat. l.* 26. *de Servit. P. V.* nam dominus si

re sua fruatur, dominium suum & libertatem exercet; ut dictum; atque hac ratione emphyteuta, vasallus, maritus & alii habere usumfructum non intelliguntur, cùm sint domini rerum. arg. *l.* 1. §. 1. *ff. si ager vectig. &c.* arg. *l.* 9. *Cod. de Rei vind. junct. l.* 30. *Cod. de jur. Dot.*

7. Postremò adjungitur: *Salva earum substantia* tum ut indicaretur, usumfructum non posse consistere nisi in corporibus, quorum substantia usu non perit; tum etiam uti constaret usufructuarium debere uti frui boni viri arbitratu. *l.* 13. *per totum ff. de usufr.* De quibus postea latius.

CAPUT SECUNDUM.

De modis, quibus Ususfructus Constituatur.

1. Re cognitâ, videndum de jure, & primùm de constitutione usufructûs; constituitur autem plurimis modis, putà; *Lege*, *præscriptione longi temporis*, *officio judicis*, *& domini voluntate*; De quibus singulis plenius erit despiciendum. Primò itaque constituitur usufructus *lege*; sic enim conjugi ad secunda vota transeunti, in pænam secundarum nuptiarum, favore liberorum primi matrimonii constitutam, adimitur proprietas eorum, quæ à priore conjuge ipsi obvenerunt, ac ita solus & nudus usufructus remanens lege constitutus intelligitur. *l.* 3. *l.* 5. *& seqq. Cod de secund. Nupt.* Similiter; patri emancipatori in præmium emancipationis lege conceditur usufructus in dimidia parte bonorum adventitiorum filii emancipati. *§.* 2. *Inst. per quas pers. cuiq. l.* 6. *§.* 3. *Cod. de bon. quæ liber.* Item patri in bonis adventitiis filii, quem in potestate habet. §. 1. *d. tit. Inst.* Præterquam in casibus exceptis, ut videre est in N. 117. C. 1. N. 118. C. 2. *l. ult. pr. & §.* 6. *Cod. de bon. quæ lib. & l. pen. eod.*

2. Deinde constituitur *Præscriptione longi temporis*: id est, possessione continuata per x. annos inter præsentes, vel xx. inter absentes. *l. ult in fin. Cod. de præscr. long. temp.* arg. *l.* 2. *Cod. de servit. & aq. junct. l. unic. Cod. de usucap. transfor. Paul. l.* 5. *sent. tit. de usucap. & tit. de effect. sent.* ut autem recte procedat hæc præscriptio

ptio nihil requiritur præter bonam fidem. *l. ult. in fin. Cod. de præscr. long. temp.* adeoque hoc duntaxat desideratur, ut, ne is, qui usumfructum sibi adserit, eo per longum tempus usus sit aut vi, aut clam, aut precario. *l.* 10. *ff. si servit. vind.* nam his tribus modis servitus mala fide possidetur. *l.* 13. *§.* 1. *ff. de acq. vel amitt. poss.* Hinc jam de titulo docere non est necesse. *d. l.* 10. *Bach. ad Tr. Vol.* 1. *Disp.* XVII. *th.* 9. nec domini scientia præcise requiritur. *all. l. ult. Cod.*

3. Tertiò Usufr. constituitur *Judicis Officio*, idque in judiciis divisoriis familiæ erciscundæ & communi dividundo, in hisce enim sæpius judex, si res divisionem commode non recipiat, alteri solam proprietatem, alteri nudum usumfructum adjudicat. *l.* 6. *§.* 1. *de usufr. l.* 6. §. 10. *ff. comm. divid.* ut ita à communione discedatur. *l.* 1. *ff. fam. ercisc. l.* 16. *§.* 1. *eod.*

4. Denique *Domini voluntate.* Modò sit dominus plenus, cui competit libera de re suâ disponendi facultas. *l.* 21. *Cod. Mandat.* atque ita à superficiario, emphyteuta, vasallo summo jure usufructus constitui non potest, verum si ab his constitutus sit, quatenus domino directo inde nullum generatur præjudicium utilibus Actionibus defenditur, ut traditum in *l.* 1. *pr. ff. quib mod. usufr. amitt. l.* 9. §. 1. *ff. usufr. quemad. cav. l.* 1. *§. fin. ff. de superfic. Donell.* 10. *Com.* 3.

Cæterum constituitur à Domino duobus modis: *Actu inter vivos & testamento.* *§.* 1. *Inst. de usufr.* *Actu inter vivos*, ut pactionibus & stipulationibus, illisque non nudis aut solis, sed pactionibus ad rem transferendam habilibus, ac traditione consummatis; uti enim pactum nudum inidoneum neminem adstringat ad aliquid dandum vel faciendum. *l.* 7. *§.* 5. *ff. de pact.* ita etiam pactum non nudum seu contractus nunquam transfert dominium, nisi ei accedat traditio *l.* 20. *Cod. de pact. l.* 3. *ff. de O. & A.* §. 40. *Inst. de R. D.* sive id quod pro diversitate rerum traditionem repræsentat, quod in incorporalibus, cujusmodi usufructus. *§.* 1. *Inst. de Reb. corp. & incorp.* est usus acquirentis & patientia constituentis. *l. ult. ff. de servit. l.* 3. *ff. de usufr.* *Testamento* Dominus usumfructum constituit, cùm alicui usumfructum legat, vel proprietatem detracto usufructu. *l.* 6. *ff. de usufr. l.* 4 *ff. si usufr. petat.* atque tum usufructus legatus sine ulla traditione ipso jure transit ad legatarium *l.* 80. *ff. de legat.* 2. vid. *l.* 10. *l.* 29.

ff. de

ff. de usufr. leg. Nullâ remanente differentiâ inter legatum damnationis & legatum vindicationis. arg. §. 2. *Inst. de legat. l.* 1. *Cod. comm. de legat.* licet olim aliud obtinuerit teste Paulo *lib.* 3. *sent. tit.* 6. *de legatis.*

CAPUT TERTIUM.

Quarum Rerum Constituatur Usufructus.

1. DE definitione usufructûs, ejusque constitutione vidimus; non è re erit, ut videamus, quarum rerum usufructus constitui possit; & quidem potest constitui in omnibus rebus sive mobilibus sive immobilibus. §. 3. *Inst. de usufr.* modo sint tales, quæ usui ac fructui accommodatæ sunt, cùm enim usufructus definiatur *Jus utendi fruendi*; facile apparet eum non esse, nisi in rebus, quæ usu permanent & utendo prosunt, seu utilitatem adferunt; hinc igitur & numismatum usufructus subsistit, si quis iis uti velit ad pompam. *l.* 3. *in fin.* & *l.* 4. *ff. Commod.* quâ ratione *Pomponius in l.* 28. *ff. de usufruct.* dicit, quod numismatum ususfr. Legari potest, quia iis adinstar gemmarum ad pompam uti possumus. Hinc in statuis atque imaginibus recte conceditur, quippe & ipsæ habent aliquam utilitatem, si quo loco opportuno ponantur, ut *Ictus. l.* 41. *ff. d. tit.* & arg *l.* 16. §. 1. *ff. quod vi aut clam.* Hinc tantùm constituitur in corporibus, non item in quantitatibus, id est rebus fungibilibus, quæ pondere numero & mensura constant. *l.* 2. §. 1. *ff. de Reb. Credit.* Ratio hæc, quia quantitates non recipiunt usum, sed abusum; non enim manet quantitatum salva sustantia post usum, sed perit, ut indicat *Rubrica & passim per tit. de usufr. ear. rer.* & ideo in his proprie & naturaliter ususfructus esse non potest: quod si tamen alicui jus fruendi in rebus fungibilibus constitutum sit, placuit senatui, introducto remedio, illud valere & quasi usumfructum haberi. §. 2. *Inst. de usufr.* Videamus itaque, quid sit quasi ususfructus, quo cognito, ejus differentia à vero usufr. ultrò clarescet, adeo ut plenior explicatio ad id non desideretur.

2. De-

2. Definitur ergo quasi usufructus, *jus Consumendi Rebus alienis, tanquam propriis, eâ lege, ut finito hoc jure, Res eadem in genere vel ejus æstimatio restituatur*. §. 2. *Inst. de usufr. & l. 7. ff. de usufr. ear. Rer.* Isque constituitur non tantùm ultimâ voluntate, ut quidam putant sine ratione; verùm etiam ad exemplum veri usufructus Conventione inter vivos, sed id nuspiam probatur, imò semper ejus constitutionis per legatum in l.l. invenitur mentio *d.* §. 2. *l.* 1. *& tot. tit. ff. de usufr. ear. Rer.* Rs. quid inde? nuspiam prohibetur, & Leges feruntur de casibus frequentioribus. *l.* 3. 4. 5. 6. *ff. de Legib.* quasi usufructus constitutio Testamentaria frequentior est, Conventionalis rarior, & ideo nobis, quia singuli casus in l.l. comprehendi non possunt, ad similia procedere non est prohibitum. *l.* 12. 13. *&* 14. *ff. eod.* Vide de his *Bach. ad Tr. Vol.* 1. *Disp.* XVI. *Th.* 2. *Lit.* 1.

3. Constituitur autem solummodo in Rebus fungibilibus quales sunt ex. gr. oleum, vinum, frumentum, item pecunia numerata; quid de vestimentis dicendum sit? maxime controvertitur inter interpretes: sunt enim qui & vestrimentorum quasi usumfructum statuunt adhibita dictione inter vestimenta scenica & quotidiana, idque ex conjunctione §. 2. *Inst. de usufr. cum l.* 15. §. 4. *&* 5. *ff. de usufr.* probare putant; sunt, qui in his sine ulla distinctione quasi usumfructum negant, & verum affirmant; Eoque reverâ nihil manifestius, si accurate perpendamus naturam quasi ususfr. eumque non consistere nisi in rebus, quæ ipso usu consumuntur, ut dictum: adeoque non in iis, quæ utendo atteruntur & deteriora fiunt, quod in vestimentis obtinet; eo enim sensu omnes fere res ad quasi usumfructum commode referri possent, cùm mappas aliasque res supellectiles utendo atteri & deteriorari nullus est, qui dubitat, & tamen in his non est quasi usufructus, sed verus; ut itaque consequenter idem dicamus de vestimentis, nulla ratio nobis obstat; verùm quid opud est argumentis? *Ulpianus* aperte in *d. l.* 15. §. 4. ait, fructuarium ita vestimentis uti debere, ne abutatur, quapropter & cautionem de re finito usufructu restituenda domino præstari necesse est. *l.* 9. §. 3. *ff. usufr. quemad. cav.* Cæterum quod velint dissentientes ex *all. l.* 15. §. 4. *&* 5. colligere differentiam inter vestimenta quotidiana & scenica seu pompatica, id frustra

quærunt: quoniam *d. l.* tantùm hoc innuit, quod fructuarius vestimentis debeat uti, ut bonus paterf. & ideo scenica locare potest, quotidiana non potest, quia id non solet facere bonus paterfam. *d. d. §. §.* verùm quid Respondebimus ad *§. 2. Inst. de usufr.* ubi diserte, *Imperat.* dicit, etiam in vestimentis esse quasi usumfructum? nihil aliud, quam id esse falsissimum; cum clarissime rationi juris impugnat. Inquirere autem seu hallucinari quendam colorem qui *Tribonianum* excusat, animus non est, sed si quis de his prolixiora desiderat, consulat *Accursium in gloss. ad d. l. 15. Arn. Vinn. ad d. 1. 2. Inst. Zoes ad tit. ff. de usufr. ear. rer. & Bach. ad Tr. Vol. 1. disp.* XVI. *Thes. 16. Pr.*

Porro hujus quasi ususfructûs effectus hic est, quod dominium transferat in fructuarium. *l. 7. & 11. ff. de usufr. ear. Rer.* Est enim jus consumendi seu abutendi, & nullus nisi Dominus re abuti potest, nec tamen ideo cadit in naturam mutui, quippe licèt in mutuo tranferatur rei dominium, perinde ut in quasi usufructu, tamen in aliis natura utriusque manebit distincta, nam mutuum transit ad heredes, quia est contractus; quasi ususfr. ad heredes non transit, sed extinguitur morte fructuarii tam naturali quam Civili. *l. 9. ff. de usufruct. ear. Rer.* Præterea mutuatarius cautionem de re restituenda non interponit, uti facere tenetur quasi fructuarius. *d. §. 2. Inst.* atque hæc de quasi usufructu sufficiant, revertamur ad verum. Sed priusquam eo perveniamus, de cautione tam veri quam quasi ususfructûs hîc quædam subjungere consultius erit.

CAPUT QUARTUM.

De Cautione Fructuariâ.

1. Usufructu constituto, consequens est, ut fructuarius domino præstet cautionem, quo magis is de rebus suis securus reddatur. *l. 1. ff. de usufr. ear. rer.* hujus autem cautionis tria inveniuntur membra; unum de utendo fruendo boni viri arbitratu, alterum de re finito usufr. in specie restituenda *d. l. 1.*

l. 1. *pr.* §. 3. *& seqq.* tertium de re in genere seu ejus æstimatione reddenda. Duo priora promittit verus, posterius quasi fructuarius, ut traditum in *l.* 7. *ff. de usufr. ear. Rer.* Cæterum hæc cautio ut idonea sit, interponenda est datis fidejussoribus, etenim dicitur satisdatio. *l.* 13. *pr. ff. de usufr.* & satisdare proprie est cavere datis fidejussoribus. *l.* 1. *ff. qui satisd. cog.* præterea cautio hæc à prætore introducta est. *l.* 1. *pr. ff. de usufr. ear. rer.* omnesque cautiones prætoriæ. ex *l.* 2. *ff. de stipulat. præt.* fidejussores requirunt; sic ut jam clarum & perspicuum sit, usufructuarium de jure Civili non satisfacere, si offerat cautionem datis pignoribus vel juramento, quippe hæc satisdationi expresse opponi probatur. *l.* 1. §. 9. *ff. de collat. bon. l.* 4. *§.* 8. *ff. de fideic. libertat. & l.* 16. §. *ult. ff. quib. mod. pign. solv.* Licèt id in praxi per speciem æquitatis ita receptum esse tradant pragmatici. *Wesemb. parat. ad tit. ff. qui satisd. Cog. Christin.* 1. *decis.* 250.

2. Quæritur autem an cautio sit de substantia usufructûs, ita ut ille non possit constitui nisi mediante illâ cautione? quod negamus, licet enim in quasi usufructu quodammodo de substantia esse videatur quatenus ille consideratur à Senatusconsulto introductus sub remedio cautionis, ut dicitur in *l.* 2. *§.* 1. *ff. de usufr. ear. Rer.* tamen id nihil impedit, quominus hic quasi usufructus ita per cautionem introductus, jam sine cautione pariter ut verus usufructus recte constitui queat. arg. *l.* 5. §. 1. *ff. de usufr. ear. Rer.*

3. Porrò cavere debet omnis usufructuarius, nisi ei cavendi necessitas fuerit remissa vel à *lege*, veluti; patri in bonis adventitiis filiif. *l. ult. §.* 4. *in fin. C. de bon. quæ liber.* donatori nudæ proprietatis. arg. *l.* 28. *de. R. I.* item ei, cui usufructus pure, proprietas in diem relicta est, quia ita sibi ipsi caveret. *l.* 9. *§.* 2. *ff. usufr. quemad. cav.* vel à *domino*, juxta regulam vulgatam. *l. pen. cod. de pactis.* quid ergo? si testator, qui usumfructum legat, fructuario remittat cautionem; Q. an valeat ista remissio? & respondemus eam non videre, quia testator remittendo cautionem disponeret de jure heredis, quod contra leges. arg. *d. l. pen.* quæ per privatos everti non possunt. *l.* 38. *ff. de pact. l.* 55. *ff. de legat.* atque ideo nihilominus cavendum est, tam de re restituenda, quàm de fruendo boni viri arbitratu, ut colligi potest

teſt ex *l.* 7. *cod. ut in poſſ. legat. junct. l.* 1. *cod. de uſufr.* & ſic communiter ſentiunt D.D. *Vinn.* §. 1. *Inſt. de uſufr. Zoes. ad tit. ff. uſufr. quemad. cav.*

CAPUT QUINTUM.

De effectu uſusfructûs conſtituti.

1. USusfructus ita ut dictum conſtitutus & acquiſitus, cùm ſit *jus fruendi*, tribuit uſufructuario jus percipiendi omnia commoda, quæ ex re fructuaria naturaliter vel civiliter proveniunt & percipi poſſunt. *l.* 7. & *l.* 9. *ff. de uſufr.* atque ita conſequitur uſufructuarius omnes omnino fructus, ſive hi ſint naturales, quæ ſolâ naturâ proveniunt; ſive induſtriales, quæ magis curâ & culturâ producuntur; ſive civiles, quæ jure percipiuntur, ut penſiones & uſuræ: hos omnes, inquam, ſuos facit, perinde ac bonæ fidei poſſeſſor. arg. *l.* 136. *R. I. l* 48. *ff. de A. R. D.* eâ tamen differentiâ, quod hic ſcil. B. F. poſſeſſor illos tantùm habeat revocabiliter, exceptis conſumtis ante litem conteſtatam. *d. l.* 48. §. 35. *Inſt. de R. D. junct. l.* 4. §. 2. *ff. fin. reg.* ille omnes habet pleno jure & irrevocabiliter: deinde B. F. P. eos conſequitur, ſtatim atque quomodocunque à ſolo ſint ſeparati, fructuarius verò non aliter, niſi ipſe eos ſeparaverit & perceperit, vel alius ejus nomine. *l.* 25. §. 1. *de uſuris l.* 13. *ff. quib. mod. uſ. amitt.* Vid. & *l.* 12. §. 1. *ff. de uſufr.* ut ſi uſumfructum donaverit vendiderit, locaverit vel pignori dederit; nam donatarius, emtor, conductor & creditor fructus percipiunt nomine uſufructuarii, qui ideo ipſe fructus percepiſſe cenſetur. *l.* 12. §. 2. *ff. uſufructu l.* 39. *eod.* & hinc eſt quod in *l. ult. ff. de uſuris* dicitur, *fructus rei eſt vel pignori dare licere.* Verùm videtur uſumfr. à fructuario in alium transferri non poſſe, cùm quia eſt jus perſonale, quod ſemper perſonæ cohæret, & cum eâ extinguitur, ut dictum ſuprà; tum quia res inter fructuarium & alterum acta præjudicaret domino, novo fructuario conſtituto; imovero uſusfructus proprius ſeu jus fructuario conſtitutum ad alium transferri non poteſt, improprius tamen ſeu nuda

nuda commoditas utendi fruendi, quin transferatur nulla ratio obstat, & de eo d.d. l.l. sunt intelligendæ. Vid. *Zoes. ad tit. de usufructu* N. 22. *& seqq.*

2. Porro cùm diximus fructuarium fructus naturales & industriales non acquirere, nisi eos perceperit, extra dubium est, fructus maturos sed adhuc pendentes finito usufructu ad eum non pertinere, sed proprietarium sequi, licet *Cujacius* & alii eos pro ratâ anni dividendos existimant, sine juris authoritate. sed magis dubitandum, an idem obtineat in fructibus Civilibus, puta; pensionibus, ita ut ante terminum, quo solutio fieri debet, mortuo fructuario, nihil omnino ex iis ad ejus hæredes pertineat; & ad hoc Respondetur distinguendo inter res, quarum pensio præstatur; nam si sit Res quæ non nisi annuatim fructum producit, tum sicut ille fructus non divisus & per partes anni, sed semel & in solidum à fructuario percipi potest, ita etiam pensio illius rei tantum semel & in solidum præstanda venit, cùm surrogatum sapiat naturam ejus, cui surrogatum est; ideoque uti fructus mortuo fructuario vel totus vel nullus ad heredes pertinet, sic pensio vel tota vel nulla heredes sequetur. *l.* 58. *ff. de usufr.* aliud verò dicendum est, si sit res per se sterilis, quæ non singulis tantùm annis, sed singulis momentis per usum & negotiationem utilitatem adfert, ut ædes, pecunia &c. tum enim hujus rei pensio, si fructuarius ante diem, quo solvi debebat, decesserit, inter ejus heredem & proprietarium pro ratâ temporis erit dividenda. *l.* 32. §. 7. *ff. de usufr. legat. l.* 9. §. 1. *ff. locat.*

3. Cæterum quia usufructuarius non tantùm habet jus fruendi id est jus percipiendi omnes fructus, verùm etiam *jus utendi*, hinc re fructuarià secundum ejus conditionem uti debet, adeoque partus ancillæ non pertinet ad fructuarium; quia ancillæ non ejus rei causâ comparantur, ut pariant, sed ut serviant. *l.* 27. *ff. de heredit. petit. l.* 28. §. 1. *ff. de usuris*, sic etiam fructus immaturos usufructuario decerpere non licet. arg. *l.* 10. *ff. tit. de usufr.* nisi forte ex immaturis plus consequeretur emolumenti. *l.* 48. §. 1. *ff. tit. eod.* sic venationem non habet. *l.* 26. *ff. de usuris.* nisi fructus fundi ex venatione constet. *l.* 9. §. 5. *ff. eod.* imo debet generaliter in re aliena, cujus usumfr. habet, facere id omne, quod bonus & diligens paterfam. in re sua facit. *l.* 9. *pr. &* §. 2. *ff. de*

usufruct. §. 37. *Inst. de R. Div.* vid. & *l.* 13. *§.* 2. *l.* 68. *& seqq. ff. de usufr.* item *l.* 25. *ff. eod. l.* 1. *§. ult. ff. usufruct. quemad. cav.*

Præter commoda enumerata, etiam hæc usufructuario competunt, quod habeat varia remedia, quibus jus suum conservare potest; nam si quid fiat in detrimentum usufructûs, ejus nomine habet actionem, & si quid novi fiat in re fructuariâ habebit nuntiationem novi operis nomine procuratorio. *l.* 1. *§. ult. ff. nov. oper. nunciat.* item si ususfructus sit in ædibus, cui vicinæ sunt ædes ruinosæ, conveniet vicinum, ut præstet cautionem damni infecti, aut ut mittatur in possessionem. *l.* 7. *§.* 1. *ff. de usufr. l.* 13. §. 3. *ff. de damn. infecto.* tertiò si quis usufructuario sit impedimento, quominus is utatur fruatur, vel eum in possessione turbet, experitur actione confessoriâ contra quemvis possidentem & in possessione turbantem, ad hoc, ut ei libere uti frui liceat, & interponatur cautio de non turbando in posterum. *l.* 5. *pr. & §. ult. ff. si ususfr. petat.*

4. Hæc de commodis, sequuntur incommoda seu onera, quæ fructuarius sentire debet juxta notissimam juris regulam, *secundum naturam est incommoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur commoda. l.* 10. *R. J.* proinde tenetur fructuarius, domum conservare sartam tectam, animalia ægrota curare, & alia plurima facere, de quibus paulo ante dictum. præterea tributa & vectigalia prædiorum agnoscere cogitur, cùm hoc onus sit reale, quod sequitur unumquemque possessorem & detentorem. ut indicat rubrica *Cod. sine censu & reliquis* (*sc. pensionibus*,) *fundum comparari non posse.*

CAPUT SEXTUM.

Quibus modis ususfructus finiatur.

1. Hîc post explicatum usumfructum, ejusque constitutionem & effectum, lex methodi desiderat, uti videamus de modis, quibus finitur ususfructus: finitur autem plurimis modis, ne proprietario proprietas reddatur inutilis semper abscedente usufructu; primò ergo finitur *morte fructuarii naturali*, cum

cùm enim usufructus sit jus personæ cohærens, eum cum persona extingui necesse est. *l.* 3. §. *ult. ff. quib. mod. usufr. amitt. l.* 3. *Cod. de usufr.* arg. *l.* 68. & 196. R. J. filiof. tamen si datus sit, non tantùm ejus, sed & patris mors spectanda venit. *l. ult. Cod. de usufr.* quod si alicui & heredibus usufructus sit constitutus, placet eum extingui morte primi heredis. *l.* 14. *Cod. eod.* licèt enim regulariter appellatione heredis non tantùm intelligatur proximus heres, sed & deinceps heredis heres in infinitum. *l.* 170. *de V. S. l.* 65. *eod.* tamen in re sui naturâ ad heredes non transitoriâ heredis appellatio ultra proximum non extenditur. *DD. ad d. l.* 65. *de V. S.* & ideo hoc in casu duo videntur usufructus: ut notat *Cujacius ad l.* 92. *ff. de V. O.* præterea si alicui usufructus sit relictus per fideicommissum, non fiduciarii, sed fideicommissarii mortem considerandam esse certum est ex *l.* 4. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* quid si civitati constitutus sit usufructus? dubium fuit, an non æternus sit, ratio hæc, quia jura personalia pluribus personis simul sumtis ac universitatem constituentibus concessa, quia non ad singulos, sed ad universos spectant, cum singulis non intereunt, sed ad postèros singulorum, qui ejusdem sunt universitatis, transmittuntur. *l.* 4. §. 3. *ff. de censibus.* verùm & hunc 100 annis interire traditum est in *l.* 56. *ff. de usufructu.*

2. Finitur etiam *maximâ & mediâ capitis diminutione.* §. *pen. Instit. de Usufruct.* quæ vulgo appellatur mors Civilis, nam *intereunt homines, non solùm morte (scil. naturali), sed etiam maxima & media capitis diminutione* ait *Jurisconsultus* in *l.* 63. §. *ult. ff. pro Socio*, sic servi de Jure Civili pro mortuis habentur. *l.* 32. & 209. *de R. J.* sic etiam deportati Civiliter dicuntur mortui. §. 1. *Instit. quib. mod. J. P. P. S.* minimâ sane Capitis diminutione usufructus non finitur, licet olim aliter obtinuerit *ex l. pen.* §. *ult. Cod. de usufr.*

3. Item finitur *consolidatione*, id est nudæ proprietatis cum usufructu conjunctione. §. 1. *Instit. de usufr. l.* 17. *ff. quib. mod. usufruct. amitt. l.* 27. *eod.* consolidatio enim inde nomen accipit, quod solidum id proprie sit, à quo usufructus separatus non est. *l.* 35. *ff. de bonis libert. l.* 26. *in fin. pr. ff. de usufruct. l.* 9. *in in fin. ff. de Aq. pluv. Arc.* & hinc usufructuarius proprietatem acquirens consolidare dicitur in *l.* 3. & 6. *ff. de usufr. Accresc.*

Sic

Sic enim si domino proprietatis facta fuerit cessio, consolidatur usufruct. & finitur, quia nemini res sua servit: fuit autem cessio, modus solennis, quo jus alicui ceditur seu traditur, eaque fiebat in jure apud prætorem cessione domini, vindicatione cessionarii & addictione prætoris, ut docet *Ulpian. in frag. tit. 19. Cujac. 22. observ. 27.* atque ideo ut recte fiat hæc cessio, requiritur per modum solennitatis præsentia trium personarum puta; cedentis, qui jus cedendi habet; vindicantis, qui habet jus vindicandi, cuique addictio fieri potest; & addicentis sc. prætoris; quod si ex his unum requisitum desit, inutilis & invalida est cessio ac pro non facta habetur secundum illud vulgare, *paria sunt in jure aliquid non fieri & non recte fieri*; adeoque per consequens hac cessione, non finitur ususfructus; proinde si ille cedatur extraneo id est alteri, quàm domino proprietatis, usumfructum non finiri perquam manifestum est, quippe extraneo per vindicationem in jure addici non potuit, quia id fieret contra naturam ususfructûs, qui ut personalis personam non egreditur; deinde nec usufructuarius jus cedendi habet, quia ususfructus non nisi à domino constitui potest, itaque potius *cedendo extraneo nihil agitur*, ut loquitur *Imperator.* in §. 3. *Inst. de usufruct.* id est non amittitur ususfructus, cùm *non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* juxta l. 52. *de R. J. in 6.* vide pro hac sententia *Pinell. in l. 1. p. 3. num. 39. in fin. Cod. de bon. matern. Wesenb. parat. ff. quib. mod. ususfruct. amitt. Zoes. eod. tit. num. 26, 27. & 28.*

4. Insuper finitur quoque ususfructus *non utendo per modum & tempus.* quæ verba conjunctim sunt accipienda, atque ideo propter solum abusum rei fructuariæ ususfructus statim non evanescit, sed tum demum, si ille abusus duraverit per spatium legitimi temporis, nam si fructuarius non utatur ad modum seu rei conditionem, sufficit quod committatur cautio de utendo boni viri arbitratu, quæ sæpius committi potest. *l. 1. §. 5. & 6. ff. usufruct. quemad. cav.* imò ob solum abusum agi potest; ex cap. 3. *Legis Aquil. l. 13. §. 2. ff. de usufruct.* ex quibus clarissimum, usumfructum abusu statim non extingui, sed tum si concurrat tempus legitimum, siquidem sive quis male utatur re fructuaria, sive prorsus non utatur per spatium 10 annorum inter præsentes & xx. inter absentes, si ususfructus consistat in im-

immobilibus; vel 3 annorum, si in mobilibus, amittit usumfruct. sunt quidem interpretes, qui negant usumfructum rei mobilis triennio finiri, sed minus considerate, cùm expresse id dictitet. *l.* 16. §. 1. *Cod. de usufruct.* ubi sic *Imperat. Non utendo non tollitur ususfr. nisi talis exceptio usufructuario opponatur; quæ etiamsi dominium vindicaret, possit eum præsentem vel absentem excludere.* adeoque quâ exceptione dominus, eâdem etiam fructuarius poterit repelli, sed repellitur à re mobili per spatium triennii. *pr. Inst. de usucap.* ergo & fructuarius rei mobilis ita repelli potest. arg. *d. l,*

5. Extinguitur denique *rei interitu*, est enim ususfr. jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est. *pr. Inst. de usufr.* hoc ita, si res tota perierit, quod si enim pars tantùm intereat, placet in eo, quod superest, usumfructum remanere. *l.* 53. *ff. de usufr. l.* 8. *eod.* nisi tamen sublata parte res ita mutetur, uti propter mutationem transeat in aliud nomen, tum enim quia res desinit esse, quæ prius fuerat, perinde ac si res in totum sublata esset, finietur ususfructus. *l.* 5. *passim. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* & hinc ædibus combustis, quamvis arèa supersit, areæ tamen ususfructus non debetur. *l.* 5. *§.* 2. *d. tit.* similiter usufructu gregis relicto, si grex ad unum redactus fuerit, in uno superstite non erit ususfructus. *l. ult. eod.* junct. *l.* 70. *§.* 3. *ff. de usufr.* idem de quadrigarum usufructu dicendum, si unus ex quatuor equis mortuus sit, nam nec reliquorum quidem debebitur ususfructus. *l.* 10. *ff. quib. mod ususfr. amitt.*

6. Superest videre de effectu ususfructûs finiti, qui est, quod, si in totum finitus sit, conjungatur cum proprietate, ita ut nudæ proprietatis dominus, tum incipiat habere plenam & solidam proprietatem. *l.* 15. *§. ult. ff. de castr. pec. l.* 19. *ff. de ann. legat.* si verò tantùm pro parte finiatur, veluti si duobus vel pluribus ususfructus per legatum relictus sit, & unus ex legatariis deficiat; tum placet, portionem deficientis non reverti ad dominum, sed jure accrescendi ad collgatarios pertinere, *tot. tit. ff. de usufr. accresc.* est autem jus accrescendi *jus, quo quis portionem ejus, qui non concurrit, vel concurrit quidem, sed concurrere desiit, consequitur.* Et obtinet in hereditatibus semper sive heredes conjuncti sint, sive disjuncti, idque ex necessitate. arg. *l.* 7. *de R. J.* in legatis non nisi inter conjunctos id

est illos, quibus una eademque res eâdem vel diversis orationibus sine partibus legata est; ac inter illos obtinet jus accrescendi ex probabili mente testatoris; aliter tamen in proprietate quam in usufr. legato, nam in proprietate legata, tamdiu in suspenso est & speratur Jus Accrescendi, quamdiu nondum agnoverint partes, & tùm mortuo legatario pars alteri accrescit, at ubi concursu partes fecerunt, sublata est spes accrescendi, & uno mortuo, portio mortui penes heredem manet id est transmittit suam portionem ad heredem suum nec ea accrescit collegatario. In usufr. verò legato licèt partes jam fecerint, portio tamen deficientis accrescit collegatario, & non transmittitur ad heredem, quia aliàs inutilis foret proprietas. *l. 14. ff. quib. mod. ususfr. amitt., l. 1. ff. de usufr. accresc.*

COROL-

COROLLARIA.

I.

Pactum de non alienando non impedit dominii translationem.

II.

Pactum contractui str. jur. in continenti adjectum non parit actionem.

III.

Secùs, si adjectum fuerit contractui bonæ fidei.

IV.

Nulla datur literarum obligatio.

V.

Maritus est dominus dotis.

VI.

Venditor ad traditionem præcise cogi non potest, sed liberatur præstando id, quod interest.

VII.

Ius Accrescendi pertinet ad emtorem.

VIII.

Solutum errore juris non potest repeti condictione indebiti.

IX.

Imò potest repeti condictione indebiti.

X.

Transactio non est rescindenda propter enormem læsionem.

XI.

Fidejussor in majorem summam obligatus quàm reus principalis, tantùm tenetur usque ad summam concurrentem.

XII.

Dantur actiones mixtæ.

XIII.

Legatus proconsulis propriam exercet jurisdictionem.

XIV.

Vt tutoris datio, sic & remotio est jurisdictionis legalis.

FINIS.

